20

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE DYSENTERIA.

QUAM

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. TACONIS HAIONIS VANDEN HONERT

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ROLANDUS FRYE, *Americanus.*

Ad diem 27. *Junii* 1720. *horâ decimâ locoque solito.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina BOUTESTENIANA.

AMPLISSIMIS ET CELEBERRIMIS
VIRIS

JOHANNI FRYE,

ARMIGERO PATRI SUO INDULGENTISSIMO OMNI CULTU ET PIETATE FILIALI IN ÆTERNUM PROSEQUENDO.

SAMUELI FRYE,

ARMIGERO AVUNCULO SUO CHARISSIMO PRO SUA ERGA ME HUMANITATE NUNQUAM SATIS COLENDO.

NEC NON

Viro summâ post parentes reverentiâ excipiendo.

D. HERMANNO BOERHAAVE. M.D.

HUJUS ET BOTANICES ET CHEMIÆ IN ILLUSTRI LUGD: BATAVORUM ACADEMIA PROFESSORI DIGNISSIMO, PRÆCEPTORI SUO HUMANISSIMO ET DOCTISSIMO.

D. GULIELMO LAVINGTON,

MORUM INTEGRITATE SPECTATISSIMO, AMICO DILECTISSIMO, DE SE OPTIME MERITO.

Parentibus, Præceptori, & Amico,
Hæc ad conflandam Thesin excerpta

D. D. D.

ROLANDUS FRYE.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE DYSENTERIA.

§. I.



OCIS Etymologiæ non multum immorabimur, ne autem a methodo ordinariâ, & viâ hactenus tritâ decedamus, sufficiat Dysenteriam ortum suum habere a δὺς ægre & ἔντερον Intestinum, quod Intestina graviter afficiantur in hocce morbo, [1] Celso vocatur intestinorum tormina, & apud [2] Aurelianum rheumatismus Intestinorum cum exulceratione dicitur.

§. II.

Dysenteria est frequens dejectio alicujus materiæ acrioris, nempe, muci intestinalis, Bilis, cruoris, puris, caruncularum &c. cum dolore gravi & torminoso, dependens aliquando

1. *Celsus de Torminibus. Pag.* 224.
2. *Cæl. Aurelianus. Cap.* VI. *Pag.* 524.

do ab inteſtinorum inflammatione, aliquando etiam juxta [1] medicos Græcos ab eorum exulceratione.

§. III.

Cum variæ ſint alvi dejectionum præternaturalium ſpecies, ut Lienteria, Cæliaca paſſio, Diarrhæa, & præ primis quæ ſanguinem quoque fundunt, ut Fluxus Hepaticus, Hæmorrhoidalis & Teneſmus, attendendum eſt ut bene diſtinguantur, ne error & confuſio incauta oriantur, a Dyſenteria Cæliaca paſſio differt, quod Chylus unà cum fæcibus alvinis excernitur, idque indolenter. in Lienteria alimenta parum aut nihil mutata, ſine dolore, ſanguine aut pure, ilico per alvum redduntur. Diarrhæa eſt frequens & copioſa per alvum egeſtio excrementorum liquidorum, licet ſæpe torminibus concomitetur, tanta tamen non ſunt ut in Dyſenteria; ex diuturniori autem & continuatâ diarrhæâ facile produci poteſt affectus Dyſentericus, quatenus acrimonia illa, quæ in diarrhæa peccat ad majorem gradum producta, tandem etiam inteſtina erodere, doloreſque intenſiſſimos excitare poterit. Fluxus Hepaticus ſanguinem equidem fundit, ſed tenuem maxime, inſtar loturæ carnis, dolores adſunt aut nulli, vel exigui, fluxus hic raro ultra duos vel tres dies durat. in fluxu hæmorrhoidali, ſanguis, pus, & dolor equidem ſe manifeſtant, ſed notandum, hæc tantum prodire ex inteſtino recto; in hocce morbo ſanguis ſemper præcedit fæces, in Dyſenteria vero ſequitur. in Teneſmo etiam ſæpius ſanguis conſpicitur, ſed illæ dejectiones ſunt paucæ admodum, & ſolum afficitur Rectum, hinc etiam dolores in ano tantum, & præ primis in exernendi conatu.

§. IV.

1. *Hippocrat. in libr. de affection. Sect.* XXIV.
Aretæus de morb. diuturn. Lib. 2. *Cap.* 9.
Alex Trallian. lib. VIII. *Cap.* 9.

§. IV.

Affectus Dysenterici causa frequentissima sunt particulæ acres intestinorum mucum abradentes, vel, si morbus violentior sit, vascula sanguifera per intestinales tunicas decurrentia corrodentes, hinc sæpe sanguis sincerus, ne muco quidem intermixto, singulis conatibus egeritur: hæcce vero acrimonia variis causis remotis in tunicas & glandulas intestinales deferri potest vel [1] venenis, vel [2] cibis, vel [3] fructibus horariis, vel etiam ex muscæ ictu ut videatur Ephemerid. German: Decur. II. An. VI. pag. 30. Append. Adamantem in forma pulveris propinatum Dysenteriam produxisse refert Fel. Platerus in Praxi Tom. 3. Dysenteria quoque excitari potest a vermibus quale Exemplum nobis offert [4] Cl. Bonetus, ubi narrat in puero Dysenteriâ mortuo maximam vermium quantitatem in Intestinis inventum fuisse.

§. V.

Inter causas remotas primum locum sibi vendicat prava aeris dispositio ad hunc morbum efficiendum, unde procul dubio fit ut Dysenteriæ sæpe deveniant Epidemicæ, qualis erat illa a clarissimo [1] Sydenhamo descripta. Sic Anno salutis nostræ 1538. ut narrat [2] Fernelius, Dysenteriæ graves universâ Europâ ferocitate tanta populabantur, vix ut Civitas ulla immunis evaserit. Dicit [3] Hippocrates si hyems justo plus frigidior & siccior extite-

1. *Sennertus lib.* III. *Cap.* 7.
2. *Fernelius in Patholog. lib.* VI. *Cap.* 10.
3. *Riverius. pag.* 301.
4. *Bonetus in sepulcreto Anatom. pag.* 1714.
1. *Sydenham. pag.* 220.
2. *Fernel. de morb. pestilent. pag.* 795.
3. *Hippocrat. Aphor. II. Sect.* 3.

titerit, ver aut pluviosum & Austrinum, æstate futuras esse Dysenterias. Atque iterum Aphor. 12. Sect. 3. Si hyems admodum austrina fuerit & pluviosa, ver autem siccum & Aquilonium, Dysenteriæ producendæ tempestates illas esse maxime idoneas. Ad hanc etiam classem revocandum est contagium, quod ab ægrotantium excrementis exhalat, & suam sæpe labem adstantibus communicat: immo vero si talia excrementa in latrinas effundantur, multos ejusdem familiæ inficere solent. Sæpius quoque ex terræ motibus & fodinis assurgentes exhalationes arsenicales, aeremque inficientes Dysenteriam produxerunt.

§. VI.

Sæpe aggreditur hic morbus cum rigore horroreque quos sequitur ut plurimum inquietudo, sitis intensa, & totius corporis calor, & brevi post tormina abdominis cum crebris ac copiosis dejectionibus, plerumque mucosis, nisi quod nonnunquam stercorosæ interponuntur, idque sine dolore insigni. mucosis hisce dejectionibus non raro intertexuntur sanguinis quædam filamenta; quandoque ne minimum quidem sanguinis deponitur per omnem morbi decursum: sæpe vero nulla antecedit febris præpensio, agmen autem ducunt tormina, dejectiones subsequuntur: semper tamen adest ingens cruciatus & intestinorum depressio cum dolore quoties exoneratur alvus: nonnunquam statim in principio valdè ferox & horrenda deprehenditur Dysenteria, vigiliis pertinacibus, dolore intensissimo, febre & siti fere inextinguibili stipata, sanguisque sincerus, nullo muco intermixto, magnâ satis quantitate deponitur: quandoque præ violentiâ inflammationis in suppurationem aguntur ipsæ intestinorum tunicæ: aliquando etiam Intestina, a magno illo incendio, quod excitavit materiæ calidæ atque acris ad partes læsas affluxus copiosior, gangrænâ insanabili afficiuntur.

§. VII.

§. VII.

Signa Dyſenteriæ diagnoſtica ex datâ definitione facilè eliciuntur; ex ventris torminibus, paulo ante vel in tempore ipſo excernendi; quæ excernuntur toto genere a naturali modo ſunt aliena, frequenter leipothymia, teneſmus, procidentia ani huicce morbo junguntur; omnia quæ ſigna diligenter enumerat [1] Galenus. an vero Inteſtina tenuia nimirum an craſſa afficiuntur, dignoſcere difficilius eſt. quando inteſtina tenuia ſunt affecta, dolor erit magis acutus, ut ægri aciculis compungi videantur; quia hæcce inteſtinula ſubſtantiâ pollent magis nervoſâ, & ſenſu exquiſitiori ſunt prædita: è contra quando craſſa afficiuntur inteſtina, dolor non tam acerbus eſt, ſed magis in ambitu abdominis juxta ſitum ac progreſſum Coli; Excrementa a torminibus & cruciatu ventris ſtatim excernuntur, ſanguinis lineamenta & purulenta materia fæcibus ſupernatant, aut parum permixta apparent.

§. VIII.

Prognoſis quanquam ſæpius incerta & valdè dubia, illa tamen ſecundum Dyſenteriæ gradus petenda. Si materia peccans ſit acerrima, majores eroſiones, dolores, febreſque malignas producet; ſecus, ſi ſit mitior, ſi mucus cum ſanguine in parvâ quantitate excernatur, nec dolores ſunt magni aut continui, nec febris intenſa, facilius curam admittit. Si Exulceratio ſit in inteſtinis craſſis, malum non valdè periculoſum, quia facilius mundificationem & conſolidationem perferunt; ſi vero inteſtina tenuia afficiantur, quia ſunt ſtructuræ tenuioris nec facilè propter texturam nervoſam conſolidari poſſunt, malum ſæ-

1. *Galenus de locis affect.* *Lib. 6. Cap.* 2.

sæpius exitiosum. [1] Aphthæ insuper exeunte morbo oris interna faucesque obsidentes, imprimis ubi corpus diu fuerit excalefactum, & materiæ peccantis evacuatio medicamentis astringentibus impedita, non exacto, prius per Cathartica, morbi fomite, mortem imminentem ut plurimum denuntiant. Dysenteria ab atrâ bile proveniens, lethalis. teste Hippocrate aphor. 24. sect. 4. In longis difficultatibus intestinorum cibi fastidium, malum; & cum febre pejus. Aphor. 3. Sect. 6. Si Dysenteriâ laborante veluti Carunculæ dejiciantur, mortiferum. Aphor. 26. Sect. 4. Dysenteria a flavâ bile aut cibis acrioribus proveniens facilè curabilis. [2] Pessimæ sunt Dysenteriæ in quibus quæ excernuntur porri speciem habent, suntque nigra, plurima, varia, graveolentia. Si Dysenteriæ ructus vel crepitus ventris superveniat, bonum. Si sæpius animo linquantur, defectum spirituum animalium indigitant, ac si vigiliæ continuæ comitentur, patet acriores sanguinis particulas etiam petiisse cerebrum, & acrimoniâ suâ tenellas Cerebri fibrillas irritare, hinc Phrenitis sævit, donec maximus somnus, seu mors obruat tandem dysentericos. subita & sine causâ remissio acerrimi doloris, manente pulsu debili intermittente, sudore frigido, [3] Dysenteriâ fætida, ichorosâ, nigrâ, fæcum sine sensu dimissione, gangrænam intestina corripuisse manifestum est.

§. IX.

Methodus Therapeatica in hisce indicationibus consistit. Primo, in resolutione benignâ, si morbus ab inflammatione causam ducat. Secundo, in correctione humorum acrium, qui intestina vellicant & erodunt. Tertio, in mundatione & consolidatione partis ulceratæ, si inflammatio, resolutione non factâ, in abscessum abiverit. Sin vero symptomata sint violentissima, & æger in vitæ discrimen perducatur, confestim ad Lau-

1. *Sydenham. pag.* 222.
2. *Aëtius tetrabibl.* 3. *serm.* 3. *Cap.* 43.
3. *Pr. Alpinus de præsag. vit. & morte. Lib. II. Cap. XI.*

Laudanum confugiendum eſt, neglectis aliis indicatis. quo in caſu ſumat æger laudani liquidi gutt: xv. plus aut minus, omni octavâ horâ, donec ſymptomata paululum cedant, & melius ſe habeat æger.

§. x.

Inflammatio curatur reſolutione, ſi humores ſint blandi & obſtructio parva; largâ miſſione ſanguinis ante quartum diem, ad minimum, adhibitâ, reſolutio obtinetur, hoc autem tempore elapſo, inflammatio abſceſſum tunc formare incipit, atqui omnino impoſſibile eſt abſceſſum jam formatum reſolutione ſanare.

§. xi.

Humores acres corriguntur vel vomitu leni ex egregiâ radice Ippecacuanhâ, ad ſcrupulum unum vel alterum, ſumptâ, quæ ſola in Dyſenteriis curandis plus præſtat quam reliqua medicamenta adhuc inventa, vi enim Emeticâ, catharticâ & aſtringente conjunctim prædita eſt, qui veram analyſin hiſtoriamque hujuſce radicis ſcire cupit, legat diſſertationes [1] Dni Bolduc Academiâ regiâ pariſinâ editas: vel purgatione moderata; Rhabarbari radix hic divinum eſt medicamentum, ſed cum potione Cathartica parata plus boni facit quamſi ſola detur; Dicit enim [2] Sydenhamus, licet Rhabarbarum Choleræ atque acrioribus quibuſcunque humoribus evacuandis ſit dicatum, attamen niſi Mannæ aliquid, aut Syrupi Roſacei, vel aliud ejuſmodi, eâ quantitate admiſceatur ut ad pleniorem Catharſin aſſurgat, in Dyſenteriis curandis non admodum conducit, quamobrem tale purgans laudat clarus ille Vir.

B 2 ℞.

1. *Les memoires de l'Academee des Sciences*, *An.* 1700., & 1701.
2. *Sydenham. pag.* 226.

℞. *Tamarind.* ℥ß.
Fol. sennæ. ʒij.
Rhei. ʒiß.
Coq. s. q. aquæ. Colatur. ℥iij. *dissolve*
Mann. Syr. Rosar. solut. ana ℥i. *M. F.*
Potio sumenda summo mane.

Clysteres lenientes & Anodyni valdè prosunt, quales lac solum vel cum Vitell. Ovor. vel Mucilag. sem. Lini & similium paratum; Decoctio flor. Altheæ, Malvæ, cum farinâ Lini pro Clystere, intestina admodum emolliunt & refrigerant. Pulveres testacei aliquando prosunt, prout absorbent vel alterant particulas acres in plicis valvulosis retentas, hærentes, tunicas intestinorum irritantes. Diæta sit tenuis & humectans. Potus ex Decocto albo.

§. XII.

Si post inflammationem satis violentam, fiat, tertio vel quarto die, subita remissio doloris & horror vagus per totum corpus sine causâ manifestâ, obtususque sit dolor in loco affecto signum est abscessum in Intestinis formari. Sanatur Ulcus decoctis Balsamicis detergentibus sæpe & magnâ quantitate bibendis. Exempli gratia.

℞. *Rad. Valerian. hortens.* ℥ij.
Fol. Levistici. *M.* ij.
Flor. Hyperic. *M.* i.
Agrimon: ℥ij.
Cum aq. decoct. ℔ij. *exhibe.*
Bibat ℥ij. *omni hora.*

Ex eodem etiam decocto fit Clysma sæpius injiciendum. Pascendus est Æger solis jusculis cum radicibus leniter detersivis incoctis, quales sunt radices Scorzoneræ, Petroselini, Cichoreæ &c. atque in his pergendum usque ad perfectam Sanationem.

§. XIII.

§. XIII.

Sæpennmerò hic affectus Dysentericus, si diutius excurrat, intestina seriatim omnia deorsum versus afficiat, donec tandem in Rectum omne malum detrudatur, & in Tenesmum desinat; quo facto longe secus atque in Dysenteriis, dejectiones stercorosæ vehementissimum intestinis dolorem inferunt, alvi sc. fæcibus, teneriora adhuc intestina, inter descendendum, radentibus; cum dejectiones mucosæ, eo tantum tempore, intestino Recto molestias creent, quo, materia in eo solo conficitur atque inde excernitur. Hic morbus, nec Methodo prædictâ, nec Clysteribus abstergentibus vel glutinantibus, quæ pro variis Ulceris temporibus injici solent; nec etiam Fotu, Insessu, suffimigiis ac suppositoriis dictos scopos respicientibus, curari potest: liquet enim hoc ab ulcere Recti non procedere, sed ex illo potius, quod intestina, quibus gradibus vires resumpserint, iisdem etiam materiæ morbificæ reliquias in Rectum deturbaverint; quod quidem indesinenter proritatum singulis sedibus mucosam illam materiam, quâ, ope Glandularum [1] Peyerianarum, intestina inunguntur, abradit. Tolerandum est itaque ægro, donec Diætâ analepticâ, & liquore aliquo Cardiaco, qui palato arridet maximè, pro libitu ingesto, revocari possint vires; quibus redeuntibus pari passu suâque sponte proripiet se hoc Tenesmi Symptoma.

§. XIV.

Restat adhuc affectûs torminosi species, quæ, propter summam ejus violentiam & periculum, sicco pede non est prætereunda; morbus est veteribus parum notus, inter Europæos ob clementiam cœli raro inveniendus, in Americâ autem, præsertim apud insulas Caribbee dictas, est frequentissimus: per totum

1 *Peyer. de Gland. intestin. Exerc.* 1. *Part.* 1. *Cap.* 2.

tum anni cursum homines infestat, in Autumno praecipuè caput attollit, majoreque ferocitate saevit. Colica Pictonum apud [1] Riverium dicitur, quae producitur, ut censet ille, ab humore bilioso in Abdominis membranas repentè effuso, qui eò transfertur, a Cystide felleâ, in Crisi diuturnâ febrium, aut à vehementi iracundia, aliâque causâ externâ, quando propter obstructiones ad vias communes effundi non potest, sed motu praepostero ad praedictas Abdominis membranas repentè excutitur. Hinc dolor oritur crudelissimus, Colicum imitatus, qui tamen neque clysteribus, neque fomentis, neque aliis remediis cedit ad plures menses perseverans. Hinc corpus contabescit, febris interdum, alicujus ex intermittentibus typum referens, molestat; estque interdum, idque saepius, continua ac lenta, tandemque doloribus remittentibus, Paralysis succedit. Illa autem partes superiores magis occupat. Crura & tibiae plerumque dolent, in paucis resolvuntur omninò. Imò verò interdum humor biliosus in ipsum cerebrum irrumpit, & convulsiones Epilepticas producit, unde mors, ut plurimum, solet succedere.

Curatur morbus missione sanguinis saepius iterandâ, si sanguis pravâ qualitate infectus appareat, aut si dolor rheumatismi particeps esse videtur. Intestina clysteribus emollientibus humectentur, primae viae Cathartico leni aperiantur, tum demittatur Æger in Balneum tepidum ex Decocto Malvae, Bismalvae, Parietariae &c. paratum, ter quaterve in die, ut acrimonia humoris temperetur, ac pori membranarum aperiantur. Postero die cathartico accommodato humor ille purgetur, deinde repetatur Balneum. Idque faciendum, donec expurgatis humoribus, & sedato dolore, aeger in tuto sit.

Venter oleo Chamaemel. Anethino, Amygdal. dulc. lilior. cum Butyro frequenter inungatur.

Laudat Cl. Sydenhamus Balsamum Peruvianum frequenter & in magno Dosi exhibitum, nempe si ejus gutt. xx. xxx. vel xxxx. Sacchar. Albiss. Cochlear. 1. instillentur, & bis vel ter in die dentur.

1. *Riverius in Cap. de Paralysi Pag.* 170.

F I N I S.